

*Resp.* 1. Clerici, si exerceant actum proprium Ordinis, nunt irregulares; si sepeliant in loco interdicto, incurront excommunicationem Episcopo reservatam. 2. Laici incurront excommunicationem Papae reservatam. 3. Regularis, qui non servatur ab Ecclesia matrice loci in generale, quando servatur ab Ecclesia matrice loci in quo habitant, excommunicationem ipso facto incurront, *Concil. Trident. sess. 25. cap. 12. de ref.*  
Caetera quae pertinent ad interdictum, vide *Tom. 7. art. 4 de interdicto.*

*De cessatione a divinis, depositione, &c.*

Quaeres 1. *Quid sit cessatio a divinis?*

*Resp.* Est, prohibitio celebrandorum officiorum divinorum, administrandorum aliquorum Sacramentorum, et ecclesiasticae sepulturae, ab homine vel a jure facta ob justam causam, v. gr. ob pollutionem Ecclesiae... ex hoc patet quod producat eosdem effectus ac interdictum; ejus tamen violatio non inducit irregularitatem, quia non est censura, sed regularis eam violantes incurront ipso facto excommunicationem. *Clem. 1. de sent. excom.*

Quaeres 2. *Quid sit depositio?*

*Resp.* Est poena ecclesiastica, qua Clericus in perpetuum privatur omni beneficio et officio Clericali, retenendo solo privilegio Canonis et fori.

Quaeres 3. *Quid sit degradatio?*

*Resp.* Est poena ecclesiastica, qua Clericus in perpetuum et solemniter privatur, non solum omni officio et beneficio Clericali, sed etiam privilegio Canonis, et fori, retento solo charactere, *cap. degradatio, de poenis, in 6.*

**DISSERTATIO VIII.***De Matrimonio.*

**A**geminus 1. De sponsalibus 2. De existentia et essentia Matrimonii. 3. De ministro et consensu requisito. 4. De ejus bonis et proprietatibus. 5. De ejus impedimentis. 6. De dispensatione ab ejus impedimentis.

*§. I. De sponsalibus.*

Quaeres 1. *Quid sint sponsalia?*

*Resp.* Definiuntur: *Futuri Matrimonii promissio*, quae debet esse 1. *Libera*, id est, sine coactione, et metu gravi iniuste incusso, quo Matrimonium redditur nullum, ac proinde sponsalia, quae naturam Matrimonii sequuntur. 2. *Mutua, et acceptata*, quia est contractus onerosus. 3. *Vera, non facta*. 4. *Facta inter personas legitimas*, id est, habiles ad contrahendum suo tempore Matrimonium.

Quaeres 2. *Quot effectus producant sponsalia?*

*Resp.* Duos: 1. Est impedimentum publicae honestatis, quod ex eis oritur. 2. Est gravis obligatio contrahendi Matrimonii tempore praefinito, nisi adsit justa causa differendi.

Quaeres 3. *Quot modis sponsalia, etiam juramento firmata, dissolvit possint?*

*Resp.* Dissolvuntur 1. Mutuo et libero sponsi et sponsae consensu. 2. Per susceptionem sacrorum Ordinum. 3. Per ingressum religionis, saltem quoad partem in seculo manentem. 4. Per subsequens Matrimonium cum altero contractum. 5. Per supervenientis impedimentum affinitatis. 6. Per subsequentem unius fornicationem. 7. Per notabilem mutationem supervenientem, talis est notabilis difformitas, infirmitas, morbus

contagiosus, haeresis, graves inter despontatos, vel inter utramque familiam inimicitiae. 8. Per diuturnam absentiam unius partis sine consensu alterius. 9. Per reclamationem, si ante pubertatis annos sponsalia contraxerint.

Quaeres 4. *An proclamation annorum sit necessaria?*

*Resp.* Est necessaria, necessitate praecepsi Ecclesiae in Conc. Later. IV. et Trid. intinati: non autem est necessaria ad valorem Sacramenti.

Quaeres 5. *Quinam teneantur revelare impedimentum?*

*Resp.* Omnis qui illud extra confessionem novit, etiamsi illud sub juramento promisisset occultare, quia juramentum non potest esse vinculum iniquitatis.

Quaeres 6. *Ad quos pertineat facultas dispensandi a proclamationibus?*

*Resp.* Ad Episcopum, qui ex Trident. non debet dispensare sine causa, cuius tamen iudicium Episcopi prudenter et iudicio remittit.

## §. II. De existentia et essentia matrimonii.

Quaeres 1. *Quomodo dividatur Matrimonium?*

*Resp.* Dividitur in legitimum, ratum, et consummatum.

*Legitimum*, est illud quod inter personas a lege non prohibitas contrahitur. Tale est Matrimonium non baptizatorum.

*Ratum*, est illud quod a solis fidelibus contrahitur, estque in ipsis Sacramentum, ratione cuius sit ratum, id est indissoluble.

*Consummatum*, est illud, quod, accedente copula carnali, extrinsecè completetur.

Quaeres 2. *Quid sit Matrimonium?*

*Resp.* 1. Matrimonium, sumptum pro contractu, definitur: *Contractus quo vir et foemina sibi invicem legi-*

*time tradunt et accipiunt corporum suorum dominum perpetuum ad actum conjugalem. Cui definitioni si ad dideris has voces: Elevatus a Christo ad gratiam significandam et conferendam, habebitis definitionem Matrimonii ut est Sacramentum.*

*Resp.* 2. Matrimonium, sumptum pro vinculo ex contractu habitualiter permanente, definitur: *Vir ac mulieris conjunctio maritalis inter personas legitimas, individuam, (id est, perpetuam) vitae consuetudinem retinens; cui in nova lege addi debet: significativa et collativa gratiae.* Ergo non potest solvi mutuo partium consensu.

Quaeres 3. *Utrum Matrimonium, in nova lege, sit proprio dictum Sacramentum?*

*Resp.* affirm. Ita enim definit Concil. Trid. sess. 24. can. 1. his verbis: *Si quis dixerit Matrimonium non esse vere unum ex septem legis evangelicae Sacramentis a Christo Domino institutum... nec gratiam conferre, anatema sit.*

*Prob.* 1. Ex Script. Ephes. 5. Propter hoc, inquit Apostol: *relinquet homo patrem, et matrem, et adhaerabit uxori sua, et erunt duo in carne una; Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia.*

*Prob.* 2. Ex tradit. *In nostratum quippe nuptiis*, ait D. Aug. lib. de bono conjugii, cap. 18. plus valet sanctitas Sacramenti, quam foecunditas uteri.

*Prob.* 3. Ratione. Quia matrimonium habet omnia ad Sacramentum proprio dictum requisita: nam 1. Est signum sensibile, nempe, conjunctio maritalis, quae significat unionem Christi cum Ecclesia. 2. Est productivum gratiae sanctificantis, ut ex Ephes. 5. asserit Concil. Trid. 3. Est a Christo institutum dicente, Matth. 19. *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* 4. Est constans et perpetuum in Ecclesia, ut constat ex usu Ecclesiae nunquam interrupto.

Quaeres 4. *Utrum Matrimonii usus sit licitus et honestus?*

*Resp. affirm.* Nam Apost. Hebr. 13. ait: *Honorable connubium in omnibus, et thorax immaculatus; immo 1. Cor. 7. praecipit, ut uxori vir debitum reddat; et uxori viro: et infra addit eum bene facere, qui matrimonio jungit virginem suam.*

*Objicies.* Actum conjugii non nisi ex indulgentia concedit Apostolus, 1. Cor. 7. ergo. *si*

*Resp. Dist. ant.* Tanquam minus bonum comparate ad virginitatem, *conc.* tanquam malum, *nego.* Alias nullo modo illum concessisset Apostolus.

*Inst.* Actus conjugalis pudet conjuges; ergo.

*Resp. Dist. ant.* Actus conjugalis pudet conjuges ratione inordinatorum concupiscentiae motuum, qui semper illum comitantur, *conc.* ratione sui, *nego.* Unde in statu innocentiae non ipsos puduisse.

Quaeres 5. *Quare Matrimonium dicatur magnum Sacramentum?*

*Resp.* Dicitur propter triplicem significationem. 1. Unionis Dei cum anima. 2. Christi cum Ecclesia. 3. Verbi divini cum humanitate.

Quaeres 6. *Quaenam sit materia Sacramenti Matrimonii?*

*Resp.* Materia remota sunt contrahentium corpora; proxima vero est corporum traditio ad actum coniugalem, nam sunt materia contractus; atqui Christus circa contractum nihil immutavit, nisi quod eum ad rationem Sacramenti elevaverit; ergo.

Quaeres 7. *Quaenam sit forma matrimonii?*

*Resp.* Est mutuus contrahentium consensus, verbis, aut nutibus expressus: quia determinat corporum traditionem ad esse firmum et datum contractum.

§ II. *De ministro Matrimonii, et consensu ad eum requisito.*

Quaeres 1. *Quinam sit minister Matrimonii?*

*Resp.* Sunt ipsi contrahentes: constat 1. ex Concilio Flor. dicente. Septimum, est *Sacramentum Matrimonii... causa efficiens Matrimonii regulariter est mutuus consensus per verba de praesenti expressus.* 2. Ex Concil. Tridentino. *Clandestina Matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse Matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit.* Atqui Matrimonium non est ratum, nisi quatenus est Sacramentum, ut definivit Innocent. III. cap. Quanta, de divortiis: *Etsi Matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum: inter fideles autem verum et ratum existit.*

3. Sacramentum Matrimonii est essentialiter contractus; sed in omni contractu contrahentes sunt ministri.

4. Constat ad validitatem Sacramenti sufficere praesentiam Parochi, etiam dissentientis et contradicentis; ergo.

*Objicies 1.* Ex Concil. Trid. Sacerdos conjungit contrahentes, dicens: *Ego vos in matrimonium coniungo; ergo.*

*Resp. Dist.* Conjungit approbativa, *conc.* efficienter, *nego.* Certum est enim quod aliis verbis uti posset, ad suam approbationem manifestandam; *Vel aliis utatur verbis,* ait Concil. Trid. quae verba exponentes Cardinales Concil. Tridentini interpres, dicunt: *Etsi Parochus nihil dicat, constat tamen Matrimonium, modo partes contrahant et Parochus sit praesens, et intelligat quod agitur, licet dissentiat et contradicat.*

*Objicies 2.* Concil. Mediolanense V. ait: *Cum Sacra menta quinque tantum, scilicet, Baptismum... Matrimonium... administrare possit. Ergo Parochus est minister Matrimonii.*

*Resp. Dist. conseq.* Est minister improprie, *conc.* proprie, *nego*. Ministerium ergo Sacerdotis importat puram solemnitatem Matrimonii in facie Ecclesiae, quae ex decreto Trid. est conditio necessaria ut valeat Sacramentum.

*Inst.* In Sacerdotali Romano legitur: *Sacerdos proferat verba, quae sunt forma hujus Sacramenti cum consensu utriusque.* Ergo.

*Resp. Dist. ant.* Sunt forma Sacramenti integraliter sumpti, *conc.* essentialiter sumpti, *nego*. Forma igitur Sacramenti Matrimonii integraliter sumpti, constat tum ex utriusque contrahentis consensu ejus essentiam constitutae, tum ex Sacerdotis verbis ad ius solemnitatem pertinentibus.

*Quaeres 2. Quodnam debeat esse consensus matrimonialis objectum?*

*Resp.* Debet esse mutua et irrevocabilis in corpora potestas, quam necessario et essentialiter debent intendere contrahentes, cum is ad materiam Matrimonii substantiali spectet: sed non requiritur ut intendatur usus Matrimonii, seu copula carnalis: nam Matrimonium B. M. Virginis cum S. Josepho fuit verum; at qui tamen neuter consensit in copulam, immo se per votum obligaverunt ad abstinentiam ab ea; ergo, &c. Ratio est, quia usus rei, de qua contrahitur, non pertinet ad essentiam contractus, sed est quid illam consequens.

*Objicies.* Essential est matrimonio, ut ad generationem ordinetur; atqui Matrimonium, in quo excluditur copula, non ordinatur ad generationem; ergo.

*Resp. Dist. maj.* Ut ordinetur radicaliter, remote, et implicite, *conc.* proxime, actualiter, et explicite, *nego*. Porro Matrimonium, in quo per votum castitatis excluditur copula, ordinatur radicaliter et remote ad generationem, quatenus confert veram potestatem ad illam, licet, propter votum emissum, haec potestas non

sit libera, expedita, et proxima.

*Quaeres 3. Qualis debeat esse consensus matrimonialis?*

*Resp.* Debet esse 1. *Verus, mutuus et aliquo signo externo expressus.* Id enim exigit natura contractus onerosi. 2. *Debet esse de praesenti.* Per quod differt a sponsalibus de futuro. 3. *Consensus utriusque debet esse simul moraliter*, alias non esse mutuus duorum in idem consensus. 4. *Debet esse omnino liber*, ita ut sit immunis a metu gravi, iuste, a causa libera, ad hoc incesso, ut diximus in tractatu de contractibus.

*Quaeres 4. Utrum ad valorem Matrimonii filiorum familias, requiratur consensus parentum?*

*Resp.* Licet requiratur ut Matrimonium sit licitum, tamen non requiritur ut valeat. Nam Concil. Trid. sess. 24. cap. 1. de ref. Eos anatemate damnat, qui falso affirmant Matrimonia a filiis familias sine consentia parentum contracta, irrita esse, et parentes eā rata vel irrita facere posse. Ratio est, quia omnis homo, sufficiente ratione et legitima aetate praeditus, plenum atque integrum habet dominium in corpus suum independenter a parentibus.

*Objicies.* Juribus regni Galliae, Matrimonia sine consensu parentum contracta, declarantur irrita; ut constat ex edicto Henr. III. in comitiis Blesensis, art. 40. et 41. ergo.

*Resp. Dist. ant.* Declarantur irrita, quoad effectus civiles, *conc.* quoad effectus sacramentales, *nego*; nam in ipsis non habet jus potestas civilis. Praeterea haec clausula edicti Blesensis: *Invalidum contractum*, spectat dyntaxat Matrimonium, aut clandestine, aut in raptu contractum, quae sunt duo impedimenta dirimentia; id patet, tum ex attenta lectione articuli Blesensis, tum ex Henrico IV. qui dictam clausulam interpretatur de Matrimonii clandestinis: *Quae, inquit, coram Ecclesia cum forma et solemnitate requisita, cele-*

*brata non fuerint; quandoquidem poena haec per Concilia indicta est ac decreta. Atqui certum est poenam nullitatis non decerni a Conciliis in Matrimonia, quibus tantum deest consensus parentum; ergo.*

*Inst. Ludovicus XIII. in art. 39. edicti, quod an. 1629. emisit circa Matrimonia, sic jubet: Statutum Blesense de Matrimonis clandestinis adamussim servabitur, et illi addendo, volumus omnia Matrimonia, contra dicti statuti tenorem contracta, declarari invalide contracta, obligabunturque judices ecclesiastici causas matrimoniales huic articulo di judicare; ergo &c.*

*Resp. Dist. ant. Rex Christianissimus vult illa Matrimonia declarari invalide contracta, quoad effectus civiles, conc. quoad effectus sacramentales, nego. Nam cum Clerus Gallicanus Regem regasset ut edictum suum vellet interpretari, ad duarum difficultatum elucidationem. 1. Est, ut non aliter intelligantur hae voces, valide aut invalide contractum Matrimonium, quam per relationem ad contractum civilem, et nullatenus ad contractum spiritualem Sacramenti. Respondit Rex: Comonitio Cleri Gallicani, quod spectat ad priorem difficultatem, sic resoluta fuit. Valide aut invalide contracta Matrimonia non esse aliter explicanda, quam per solam relationem ad contractum civilem per Laicos Judices. Quae explicatio tollit omnem difficultatem.*

#### § IV. De bonis et proprietatibus Matrimonii.

Quaeres 1. *Quot sint bona Matrimonii?*

*Resp. Tria: nempe, fides, per quam intelligitur unitas et indissolubilitas Matrimonii; proles, per quam intelligitur prolis susceptio et educatio ad cultum Dei; et Sacramentum, per quod significatur tum gratia sanctificans secunda, tum gratia sacramentalis.*

Quaeres 2. *Quot sint proprietales Matrimonii?*

*Resp. Sunt tres: 1. Est unitas, id est, unius cum*

*una conjunctio, cui opponitur polygamia. 2. Est indissolubilitas. 3. Est castitas conjugalis.*

Quaeres 3. *Quotuplex sit polygamia?*

*Resp. Duplex, nempe, successiva, quae bigamia dicitur, estque ulterius connubium post mortem compartis, et simultanea, quae proprie dicitur polygamia, estque connubium unius viri cum pluribus simul uxoribus, vel unius uxoris cum pluribus simul viris.*

Quaeres 4. *Utrum bigamia sit licita?*

*Resp. affirm. Ita definivit Ecclesia contra Montanistas et Novatianos: Nam Apost. 1. Cor. 7. ait: Mulier alligata est legi (Matrimonii) quanto tempore vir ejus vivit: quod si dormierit vir ejus, liberata est, cui vult nubat, tantum in Domino. Unde Conc. Flor. ait: Declaramus non solum secundas, sed tertias, et quartas, atque ulteriores nuptias... liceite contrahi posse.*

Quaeres 5. *Utrum polygamia simultanea ex parte mulieris sit jure naturali prohibita?*

*Resp. affirm. Nam adversatur primario fini Matrimonii, nempe, proli generationi, et educationi: unde nunquam fuit, nec potuit esse in usu.*

Quaeres 6. *Utrum polygamia simultanea ex parte viri, sit contra jus naturale?*

*Resp. Est contra jus naturale variabile; sic enim habetur Gen. 2. Relinquit homo patrem et matrem, et adhaerbit uxori sua, et erunt duo in carne una. Atqui in polygamia simultanea, non duo, sed plures essent in carne una; ergo.*

*Objicies. Jacob, David, et alii Patriarchae plures habuerunt simul uxores: ergo plures habere uxores, non est contra jus naturale.*

*Resp. Dist. ant. Habuerunt ex Dei dispensatione, conc. aliter, nego. Ergo non est contra jus naturale, invariabile, conc. variabile, nego. Itaque jus naturale est invariabile quoad prima principia, ac primarium naturae, finem, in quibus nulla potest esse dispensatio; sed*

variabile est quoad conclusiones et secundarios naturae fines: porro quod homo non possit habere simul plures uxores, pertinet ad secundarium naturae finem, a quo Deus potest dispensare, et de facto dispensavit cum veteribus Patriarchis.

Quaeres 7. *Utrum Christus in lege nova dispensationem veteribus Patriarchis datam revocaverit?*

Resp. Revocavit, atque Matrimonium cum pluribus simul uxoris illicitum ac irritum fecit, Matth. 19. *Qui fecit hominem ab initio, masculum et foeminam fecit eos, propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.* Ubi Christus licentiam antiquis Patriarchis concessam, aperte revocat, et Matrimonium ad primaevam institutionem reducit: *Non, enim, dixit tres, vel plures, sed duo: nec dixit adhaerebit uxoris, sed uxori,* ait Innoc. III. cap. 8. de divorciis.

Quaeres 8. *Quotuplex sit dissolutio Matrimonii?*

Resp. Duplex, nempe, *dissolutio quoad vinculum,* qua conjuges ita priori libertati restituuntur, ut alias possint inire nuptias. *Et divorcium,* quod est separatio quoad thorum, et cohabitationem, salvo Matrimonii vinculo.

Quaeres 9. *Utrum Matrimonium jure divino sit indissoluble quoad vinculum?*

Resp. Est, ut definit Conc. Trid. sess. 24. his verbis: *Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexus primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit, &c.* Quam indissolubilitatem Christus confirmans, Matth. 19. ait: *Quod Deus conjunxit, homo non separat.* Et Apost. 1. Cor. 7. dicit: *Iis qui Matrimonio juncti sunt, praecipio, non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.*

Hinc 1. Matrimonii vinculum non potest dissolvi per adulterium, ut definit Conc. Trid. Can. 7. Si

quis dixerit Ecclesiam errare cum docuit, et docet, iuxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius conjugum, Matrimonii vinculum non posse dissolvi: et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse, altero coniuge vivente, aliud Matrimonium contrahere; moecharique eum, qui, dimissa adultera, aliam duxerit, et eam, quae, dimisso adultero, alii nupserit, anathema sit. Quae definitio fundatur in Script. Marci 1. ubi generaliter et absque exceptione dicitur: *Quicumque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium commitit super eam;* et Lucae 16. *Omnis qui dimittit uxorem suam, et aliam ducit, moechatur; et qui dimissam a viro ducit, moehatur.*

Objicies. Matth. 19. dicitur: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur; et qui dimissam duxerit, moechatur;* ergo vinculum Matrimonii dirimi potest propter adulterium.

Resp. Nego conseq. Illa enim exceptio referenda est ad dimiserit, non ad, *aliam duxerit;* sensus ideo est, *quicumque dimiserit uxorem suam,* quoad thorum et habitationem, *nisi ob fornicationem, et aliam duxerit,* quamecumque ob causam, moechatur.

Hinc 2. Probabilius videtur, quod Papa non possit dispensare a vinculo Matrimonii rati, ut definit Alex. III. in Appendice Conc. III. Lateran. parte 6. insuper asserens, aliquos Pontifices, qui dicuntur dispensasse in Matrimonio, locutos fuisse de Matrimonio per verba de futuro, id est, de sponsalibus, alios vero de dissolutione quoad thorum et cohabitationem.

Quaeres 10. *Utrum Matrimonium Christianorum indissoluble sit jure naturae quoad vinculum?*

Resp. 1. Si solummodo sit ratum, non est jure naturae indissoluble: nam omnes contractus, quantumvis rati, si spectetur solum jus naturae, ex utriusque contrahentis consensu sunt dissolubiles, modo nullum in-

de contra naturam sequatur inconveniens: atqui ex dissolutione Matrimonii rati, nullum sequitur contra naturam inconveniens, neque ex parte generationis, neque ex parte prolis educandae, ut constat; ergo. &c.

*Resp.* 2. Si Matrimonium sit consummatum, jure naturali est indissolubile quoad vinculum; quia ejus dissolutio adversatur fini primario Matrimonii, nempe, debitae proli generationi, ejusdemque rectae educationi, quae exigunt firmum ac perpetuum conjugum nexum.

*Objicies.* Ex infra dicendis, Matrimonium, etiam consummatum, potest dissolvi a Deo; ergo non est indissolubile.

*Resp. Dist. conseq.* Non est indissolubile, per exclusionem auctoritatis divinae, *conc.* per exclusionem auctoritatis hominis, *nego.* Deus itaque, pro suo supremo in res omnes dominio, Matrimonium etiam consummati vinculum dissolvere potest, auferendo utrique conjugi dominium quod habet in corpus alterius, et sua providentia impediendo incommoda inde sequi nata, aut suppeditando media ad illa vitanda.

*Inst.* Jus naturale est immutabile; ergo.

*Resp. Dist. ant.* Est immutabile quantum ad universalia principia, et ea quae habent inseparabilem malitiam, *conc.* quantum ad principia remotiora, et ea quae aliqua circumstantia coherestari possunt, *nego.* Porro talis est solubilitas vinculi conjugalis.

*Quaeres 11. Utrum Matrimonium ab infidelibus contractum dirimatur per unius partis conversionem ad fidem?*

*Resp.* Non dirimitur, si pars infidelis consentit habitare pacifice cum parte fidei; sed si pars infidelis discedat, vel nolit habitare pacifice cum parte fidei, dirimitur, etiamsi fuerit consummatum, ut tradit Apost. 1. Cor. 7. *Nam caeteris ego dico non Dominus, si quis frater (id est, ad fidem conversus) uxorem habet infide-*

*iem, et haec consentit habitare cum illo (pacifice) non dimittat illam.... Quod si infidelis discedit, discedat: non enim servituti subjectus est frater, aut soror in hujusmodi.* Ergo Deus in easu proposito dissolvit prius Matrimonium in gratiam christiana Religionis.

*Quaeres 12. Utrum in lege veteri Matrimonium dirimetur per libellum repudii?*

*Resp.* Probabilius est quod dirimebatur, Deo dispensante propter duritiam cordis Judaeorum, ne graviora mala orirentur, nempe uxoricidia: nam lex repudii Deut. 24. veram licentiam concedebat, tum marito dimittendi uxorem, tum uxori dimissae nubendi alteri viro; ordo dimittens non amplius maritus dimissae: lex enim prohibebat, ne repudiata, post mortem secundi mariti, posset unquam recipi a priori marito, quod alias optimum et valde optandum fuisset.

*Objicies.* Deut. 24. uxor repudiata dicitur polluta et abominabilis: *Non poterit prior maritus accipere eam in uxorem, quia polluta est, et abominabilis facta est coram Domino.* Ergo secundae nuptiae, a repudiata initiae, erant peccaminosae et nullae.

*Resp. Nego conseq.* Non enim dicitur polluta et abominabilis absolute, sed relative ad repudiandam, ad quem redditus uxorius abominabilis est, et omnino vetitus a Deo, quia hic orbicularis noptiarum regressus speciem praese fer adulterini coactibus, videturque fucatum tantum fuisse repudium, quasi non sincere repudiata fuisset uxor, sed alteri ad tempus commodata, quod abominabile est, ut fer textus hebreus.

*Quaeres 13. Utrum Matrimonii vinculum dirimatur per solemnum unius conjugis professionem in Religione a S. Sede approbata?*

*Resp.* Si sit consummatum, non dirimitur; si vero sit solummodo ratum, jure divino dirimitur, ita ut liceat alteri ad alias nuptias convolare; sic enim definit Conc. Trid. sess. 14. can. 6. Nulla alia potest assignari ra-

tio a priori, quam voluntas Christi nobis ex traditione perpetua revelata.

*Objicies.* Fidelitas in promissis obligat jure naturae; atqui conjuges sibi promiserunt mutuam et individuam vitae societatem in Matrimonio; ergo.

*Resp.* *Dist. maj.* Fidelitas in promissis absolutis, conc. conditionatis, nego. Contractus autem Matrimonii, sit cum hac retentione implicita et virtuali, ut, nempe, liceat ante consummationem Religionem ingredi et profiteri.

*Quaeres 14. Utrum divortium sit licitum?*

*Resp.* Est licitum, si fiat legitima auctoritate, ita definit Concil. Trid. sess. 24, can. 8. *Si quis dixerit Ecclesiam errare, cum ob multas causas, separationem inter conjuges quoad thorum, seu, quoad habitationem ad certum, incertumve tempus fieri posse decernit: anathema sit.*

*Quaeres 15. Quas ob causas licitum sit divortium?*

*Resp.* Licitum est, 1. ob culpable alterius conjugis adulterium moraliter certum: id enim permittit Christus, Matth. 19. *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur.*

2. Ob crimen vertens in damnum spirituale alterius conjugis, quale est periculum subversionis, vel a fide, vel a bonis moribus: immo tunc teneretur ad divortium: dicente Christo, Matth. 18. *Si oculus tuus scandalizat te, erue eum, et projice ab te.*

3. Ob periculum gravis damni corporalis comparatis, quale reperitur, cum alter conjux laborat morbo contagioso, est amens, furiosus, &c. quia Matrimonium non tollit jus naturale vitandi corporale periculum.

*Objicies.* Christus solius fornicationis meminit; ergo unica est causa divortii.

*Resp.* Nego conseq. Christus enim non exclusit alias causas, sed solius fornicationis meminit, 1. quia sola fornicatio opponitur fidei conjugali; 2. quia Christus

loquitur de divortio per libellum repudii, quod erat perpetuum; atqui sola fornicatio est causa divortii perpetui; ergo.

*Quaeres 16. Quid juris habeat innocens post factum divortium?*

*Resp.* Si divortium sit perpetuum, pars innocens potest mutare statum per susceptionem Ordinum vel professionem religiosam, quia adulteri amisit jus in corpus compartis innocentis, sed non vicissim. Si vero divortium non sit perpetuum, pars innocens non potest mutare statum, quia nocens emendatus potest, auctoritate Judicis, repetere suam compartenem.

#### §. V. *De impedimentis Matrimonii.*

*Quaeres 1. Quotuplicis generis sint impedimenta Matrimonii?*

*Resp.* Duplicis, alia sunt *impedientia* tantum, quae Matrimonium reddit tantummodo illicitum. Alia *dirimentia*, quae matrimonium attentatum reddit nullum et irritum.

*Quaeres 2. Quot sint impedimenta impedientia?*

*Resp.* Jure novo sunt tautom quatuor, versu sequenti comprehensa:

*Ecclesiae vetitum, tempus, sponsalia, votum.*

1. Per *Ecclesiae vetitum*, intelligitur, prohibito a Parocho facta nuptientibus, ne contrahant Matrimonium ob aliquam causam temporalem; v. gr. donec inquiratur, an impedimentum, quod objicitur, revera existat.

2. Per *tempus*, intelligitur tempus, quo interdicuntur nuptiae, nimurum, ab Adventu usque in Diem Epiphaniae, et a Feria quarta Cinerum usque in octavam Paschatis inclusiv. Trid. c. 10. de ref.